et argentum et pueros et
ancillas asinos et camelos
et sortem magnam. Verumtamen
verbum hoc fiet quia invideo
super fratrem vestrum ioseph propter quod
accepit aseneth que mihi debebatur
a principio. Et nunc communicamini
mihi et interficiam ioseph in gladio
et accipiam aseneth in coniugem
et vos eritis mihi in fratres et amicos
fideles. Si vero vos non feceritis
verbum istud et despexeritis consilium
meum ad vos preparabo gladium
meum. Dixeruntque levi filio pharao-
nis hilari facie. Ut quid loquitur
dominus meus secundum verba hec. Et nos
sumus viri dominum colentes et pater
noster puer dei altissimi et frater
noster timens dominum. Et qualiter nos
faciemus verbum istud pessimum
et peccabimus in conspectu dei
et in conspectu patris nostri israel
et in conspectu fratris nostri ioseph.
Et nunc audi verba mea et non
facias secundum verba ista quodquod.
Non enim accepit frater noster eam
a semetipso verum per legem patris
tui pharaonis. Et audi perma-
neris in consilio tuo isto pessimo
ecce gladii nostri in manibus nostris
in conspectu tuo et cum fratre nostro
morieris. Et cum audisset filius
pharaonis timuit valde. Et
exierunt filii iacob symeon et levi

a facie filii pharaonis. Et
erat filius pharaonis repletus
timore et tristitia quia timebat
ioseph inimicare et nimis arde-
bat super pulchritudinem aseneth.
Et locuti sunt ei pueri eius dicentes.
Ecce filii bale et filii zelphe an-
cillarum lie et rachelis uxorum
iacob inimici sunt ioseph et
invident ei et erunt tibi obaudientes
secundum voluntatem tuam. Et misit
pharaonis filius et vocavit
eos ad semetipsum dixitque eis.
Ecce benedictio et mors ante
faciem vestram. Accipite magis
benedictionem et non mortem. Au-
divi enim fratrem vestrum ioseph
dicentem ad patrem meum
pharaonem de vobis quia
filii ancillarum sunt et non sunt
fratres mei et expecto mortem
patris mei et destruam eos et
omnem generationem eorum ne ipsi
simul hereditent nobiscum propter
quod filii ancillarum sunt. Et
ipsi me vendiderunt ismahelitis
et ego retribuam eis secundum ma-
litiam eorum quam malignati sunt
in me. Et laudavit verba eius
pharao pater meus et dixit ei
quid et me habebis in hoc
cooperatorem. Et postquam
audierunt viri verba ista filii
pharaonis conturbati sunt et